



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

4 An ex aqua vino admista fiat sanguis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

do: secunda, quia Christus hanc aquam miscuit vino, quod consecrauit: tertia, quia hæc sola est accommodata ad significationem: tum quia, cum Scriptura dicit aquarum nomine significari populos, plane intelligit de naturalibus aquis: tum maxime, quia aqua, quæ de latere Christi exiuit, fuit vera & naturalis, & vox ipsa, quæ Euangelista vsus est, in proprietate significat, & definitur in cap. In quadam, de Celebrat. missæ. Vnde fit, eo modo esse necessariam aquam naturalem, quo mistio necessaria est, scilicet necessitate præcepti, non sacramenti. Qui vero opinaretur mistionem aquæ esse de necessitate sacramenti, consequenter dicere teneretur, naturalem aquam esse eodem modo necessariam, quia rationes sunt eadem. Addendum vero est, si quis simul cum naturali aqua adiungeret rosaceam, vel aliquam similem, in parua quantitate, imprimis in omni sententia, illum nihilominus consecraturum sacramentum, quia habet veram ac necessariam materiam. Deinde non peccaturum contra affirmatiuum præceptum de aqua miscenda, quia hoc non omittit. Tandem peccaturum grauius contra negatiuum præceptum, non miscendi aliquid in materiis sacramentorum, præter Christi institutionem, & consuetudinem Ecclesiæ. Et ex his iudicandum est de qualitate accidentali aquæ, vt quod sit calida aut frigida, pura, &c. in his enim seruanda est reuerentia sacramenti, & ordinaria consuetudo Ecclesiæ, & nullus nouus ritus introducendus.

Secundo quo ad quantitatem, docent omnes Theologi debere misceri in parua quantitate, seruata proportione ad quantitatem vini: quæ vero debet esse hæc proportio, non eodem modo, nec facile explicatur. Vnum vero est certissimum, aquam non debere esse tantam, vt possit corrumpere vinum, alias deficere posset materia necessaria. Vnde etiam fit, non debere apponi in maiori quantitate, quam vinum, vt habetur in c. Perniciosus, de Celebrat. missæ. Et similiter est certum, non debere esse æqualem: quia licet in huiusmodi mistionibus, si aliquid vini conferuetur, probabile sit, consecrationem esse validam, tamen ille modus miscendi aquam, & consecrandi materiam, est indebitus, & præter vltimam Ecclesiæ, & interdum potest reddere materiam vel nullam vel dubiam: oportet ergo, vt aqua sit in maiori quantitate, quam vinum: in quâta vero proportione debeat esse minor quantitas, vix potest definiti: nam licet in Concilio Triburiensi, cap. 19. dicatur: Duæ partes sint vini, tertia aquæ, quia maior est maiestas sanguinis Christi, tamen Concilium Florentinum dicit, miscendum esse paululum aquæ, & aquam modicissimam: quibus verbis multo minorem quantitatem indicat. Et hoc etiam videtur Ecclesiæ vsus docere: nec potest certior regula præscribi, quam vt sit aqua in modicissima quantitate. Et ratio adiungi potest, quia certum est, quamlibet guttulam aquæ, dum modo satis sensibilis sit, esse sufficientem, quia illa est vera aqua sensibilis, & ad significationem sufficit. Aliunde vero, quo fuerit minor quantitas, eo certius erit, non posse corrumpere vinum, sed potius & conuerso ipsam facile posse conuerti in vinum, quod fortasse necessarium est, vt debito, & conuenienti modo fiat hæc mistio. Propter quod Guilelmus Durandus, libro quarto sui Rationalis, cap. 30. arbitrio prudentis Sacerdotis hoc relinquit, dummodo aqua à vino absorberi possit: sed hoc pendet ex dicendis sectione sequente, vbi de illo decreto Concilij Triburiensis plura dicemus.

Conc. Trib.

Florent.

Guilel. Dur.

Obiectio.

Solutio.

Sed dicit aliquis, non esse verisimile, Christum hoc modo miscuisse aquam, sed prout ad temperandum potum vsualem communiter adhiberi solet. Respondetur, hoc recte solui ex his, quæ supra dixi, Christum non instituisse hoc sacramentum inter cenandum cœna vsuali, ac si remi communem & vulgarem ageret, sed ante inchoatam illam singulari attentione, & reuerentia, prout mysterium postulabat. Vnde fit

non oportuisse, vt vteretur in mysterio vino misto modo vsuali, sed modo mystico, prout nunc in sacrificio fit. Et hoc modo intelligendi sunt Patres, quando vocant hunc calicem mistum, seu dilutum, & temperatum aqua: loquuntur enim de mystica & significatiua mistione.

Tertio, quod ad tempus attinet, certum est primo, faciendam esse hanc mistionem tempore sacrificij, & in ipso sacro calice: ita non fiat erit, quod domi vel in dolio fiat: quia illa non esset sacra cœrenonia, nec sacram haberet significationem. Ita D. Thomas hic ad 3. dicens, debere fieri mistionem in ipsa celebratione sacramenti, idem fere Alensis 4. part. questione 32. membr. 5. artic. 2. in fine, vbi inquit: grauius peccare eum, qui miscet aquam, antequam mysteria vel preparatio ad ea inchoentur. Gabriel etiam distinctione 11. questione 2. dub. 4. Richard. artic. 3. questione sexta, qui aduertit aquam debere infundi in calice iam habente vinum: ad consecrationem deputatum ex intentione ministri: idem Syluest. verbo Eucharist. primo. Rursus, vt minimum, necesse est fieri mistionem hanc ante calicis oblationem: ita enim habet vniuersalis Ecclesiæ vsus, & grauius peccaret, qui voluntarie hoc omitteret. Si tamen ex negligentia accidat, & ante consecrationem aduertatur, statim adhiberi debet. Si vero facta iam sit consecratio, omittenda est mistio. Quia si cessauit ratio, & tempus præcepti, & significationis. Nec est iam aqua sanguini Domini miscenda. De toto autem tempore à principio missæ, vsq; ad oblationem nulla est præcepti necessitas. Soto & Syluester magis probare videntur, quod in initio missæ fiat, quia est maior mora temporis, vt aqua in vinum conuertatur. Alensis vero dicit in missis solennibus fieri post Euangelium: in priuatis vero solere antea fieri. Contrarium autem à multis seruatur, scilicet, vt in priuatis missis fiat post Euangelium, in solennibus autem antea. In missali tamen Romano dicitur fieri debere post Euangelium, facta hostiæ oblatione: & hic modus est satis tutus, & sufficiens. Denique in hoc, qui secutus fuerit suæ Ecclesiæ consuetudinem, non errabit.

Circa quartum quis debeat aquam infundere, Guilel. Durand. dicit cap. 30. solum Presbyterum debere hoc facere: quia solus ipse Christum representat, qui suo sanguine populum redemit. Adde Ledes. questione 17. artic. 7. dub. 3. debere esse eundem Sacerdotem, qui missæ sacrificium offert, quia alias non significaretur, quod Ecclesiæ intendit: sed neutrum puto simpliciter esse necessarium, seu præceptum, quia in missali Romano præscribitur, vt in missis solennibus Subdiaconus infundat aquam à Sacerdote benedictam in calicem: & in hoc sunt diuersæ consuetudines, præsertim in missis solennioribus. Vnde in priuatis missis tutum est seruare, quod Ledesma dicit, in solennioribus vero, quod in missali Romano habetur, vel quod tenuerit consuetudo, fieri sine culpa potest.

SECTIO IV.

Vtrum aqua vino mista conuertatur in sanguinem Domini & sub hac intentione misceri debeat.

PRIMA sententia dicit, aquam conuerti non in sanguinem, sed in quendam humorem aqueum seu phlegma, quod secundum hanc sententiam de latere CHRISTI Domini exiuit. Fundamentum eius sententiæ est, quia per mistionem aquæ & vini significantur aqua & sanguis, quæ à latere Christi fluxerunt in sacramentis autem nouæ legis id, quod significatur, vi & virtute sacramentorum efficitur. Hanc sententiam refert Innocentius in capite. Cum

1. Sententia. Marthæ, & in capite. In quadam, de Celebrat. missar. & illam damnat, vt absurdam, erroneam, & Catholice veritati contrariam. Primò, quia hæreticum est negare, & negare, aquam, quæ de latere Christi exiit, fuisse quam quæ de veram & naturalem aquam. Est enim contra vim verborum Euangelij, & contra communem Sapientiorum intelligentiam. Deinde illa aqua, quæ exiit de corpore Christi, non pertinebat ad veritatem & substantiam illius: aqua enim elementaris non est de ratione corporis humani. Vnde omnes Sancti docent, supernaturaliter ac miraculosè manasse aquam illam de corpore Christi iam defuncti: ergo illa aqua non manet nunc in glorioso corpore Christi: ergo non est, quod hæc aqua in illam cõuertatur. Præterea verba formæ non significant talem cõuersionem: sed id totum, quod designatur pronomine, Hic, dicitur esse sanguis: ergo non fit alia cõuersio per illam formam. Deniq; licet sacramenta efficiant, quod significant, non tamen omnes ceremoniæ sacræ, quæ illis adiunguntur, similiter efficiunt. Hæc autem solum est cõuersio aquæ dam sacramentalis, vt dictum est.

2. Sententia. Secunda sententia est, aquam vino mistam non conuerti, sed manere in propria specie & natura admittam speciebus vini post consecrationem, ita refert Innocentius III. in dicto capite. Cum Marthæ. Fundamentum est: quia vinum vinum immediatè conuerti in sanguinem. Solum enim illud est materia & solæ species eius significant sanguinem Christi: ergo aqua non conuerti in immediatè in sanguinem, cum non sit materia. Dices, conuerti mediatè, scilicet, prius in vinum, & postea in sanguinem. Sed contra: quia prior conuersio non est ponenda supernaturalis & miraculosæ: nullum enim est fundamentum, neque in forma, neq; in institutione: naturalis autem esse non potest, quia naturaliter non conuertitur, nec vinum censetur habere tantam naturalem efficaciam, vt tam subito aquam in se conuertat: præterea si tertia pars aquæ miscetur, vt Tuburienf. Concilium permittit: est ergo hæc mixtio solum imperfecta per iuxta positionem. Et confirmatur, quia fieri à multis dicitur, vt aqua sic vino mista filo lineæ aut medulla iunci, vel alio simili artificio à vino separetur. Quod si officias: nam inconueniens est aquam misceri vino, si non est in sanguinem conuertenda: Respondent, non misceri, vt conuertiatur, sed solum eiusdem ceremoniæ gratia, & propter quandam significationem; cum enim hæc mixtio non sit ex Christi, sed ex Ecclesiæ institutione, non pertinet ad materiam, neque ad effectum sacramenti: atque adeo neq; ad consecrationem, & conuersionem materiæ, sed solum est quædam sacramentalis cõuersio. Neq; ex hoc sequitur aliqua indecentia, vel aliquid incommodum: quia illa aqua reuera non contingit sanguinem Christi, sed solas species.

Hanc sententiam relinquit Innocentius, vt minus probabilem, & ita est ab omnibus Scholasticis reiecta: à Diuo Thoma hic & aliis, cum Magistro distinctio. 11. Alens, quæstione 32. membr. 5. Gabriel. lect. 35. in can. Soto d. 9. q. 1. art. 5. Alan. lib. 1. de Eucharist. cap. 13. qui omnes docent, aquam in fundi calici, vt conuertatur in sanguinem, atq; ita fieri sæpe, ac frequentissimè: & idem docuit Innocent. lib. 4. c. 32. Raban. supra cap. 4. Et potest hæc sententia auctoritate Patrum refutari, dicunt enim aquam vino mistam consecrari, sanctificari, benedici, quibus verbis significare solent conuersionem. Vnde in Canonibus à Martino Bracharen. Episcopo collectis. c. 55. & habetur in cap. Non oportet. de consecrat. d. 2. dicitur. Hæc tria panem, vinum, & aquam, in typum Christi benedici: & infra dicitur. Hæc tria vnum sunt in Christo Iesu. Cyprianus dicta epist. 63. dicit, Calicem Domini, non esse vinum solum, neque aquam solum, sed vtrumq; mistum, & hoc esse, quod sanctificatur. Franc. Suarez Tom. 3.

Clarius Damascen. lib. 4. cap. 14. dicens, Qui fecit omnia, posse ex vino & aqua sanguinem suum conficere. Ambros. lib. 4. de sacramentis. cap. 4. in fine. Vinum & aqua (inquit) in calicem Domini mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis, & cap. 5. Ante verba Christi calix est vino & aqua plenus, vbi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur. Paschal. dicto lib. cap. 11. expresse dicit, non manere aquam, sed verti in sanguinem, idem sentit Alger. lib. 1. cap. 16. circa finem. Cum (inquit) vinum pro Christo, & aqua sacrificetur pro populo, & vtrumq; vnus sanguis fiat, quid nisi vnio capit, & membrorum significatur? Ratione præterea argumentor primo: ex veritate formæ; quæ absolute dicitur. Hic est calix sanguinis. Per illud autem pronomen, Hic, designatur totus ille potus, & liquor, qui in calice continetur: si ergo non totus ille est sanguis, forma non est simpliciter vera. Nam ad veritatem illius locutionis necesse est, vt id totum, quod designatur, non sit alia substantia, nisi sanguis Christi: simili enim argumento infra probabimus, non manere ibi substantiam vini. Secundo totus calix statim post cõsecrationem proponitur populo adorandus: ergo supponitur, sub omnibus speciebus illius vini mixti, non esse aliam substantiam, nisi Christum & sanguinem eius. Tertio, nam, post consumptionem calicis, Sacerdos censetur manere ieiunus: vnde permittitur interdum iterum, atq; iterum consecrare, ac sumere, dummodo post species consecratas nihil sumat: ergo signum euidentis est, credi ab Ecclesiâ, totum id, quod est in calice consecrato, manere consecratum: alias, sumendo species vini, necessario sumeret Sacerdos veram & naturalem aquam, & ita non maneret ieiunus. Quarto denique, quia plane indecens fuisset, & non minus absurdum miscere aliquid vino consecrando, vt simul cum vero sanguine Christi Domini in sua substantia & natura permaneret: ergo ex intentione Ecclesiæ miscetur aqua, vt in verum Christi sanguinem conuertenda. Hoc enim non repugnat significationi, sed illam potius maxime iuuat: quia melius & perfectius significatur vnio Ecclesiæ cum Christo: ergo per consecrationem reuera perficitur hæc cõuersio, alias valde eluderetur ac deciperetur Ecclesiâ in huiusmodi cõuersio.

Difficultas vero superest, vtrum, vt aqua conuertatur in sanguinem Christi Domini, necesse sit prius conuerti in vinum, vel possit immediatè in sanguinem transire. Et tria in primis sunt, in quibus fere omnes Theologi consentiunt. Primum, si aqua conuertatur in vinum, quando profertur forma, certissimum esse in sanguinem conuerti: tum quia iam est vinum, & consequenter est materia: tum quia omnia allegata hoc maxime probant. Secundum est, si aqua in debita proportione miscetur & debito tempore, frequentius accidere, vt conuertatur in vinum ante consecrationem. Hoc pendet ex principiis philosophiæ: & explicari potest, tum quia vinum propter caliditatem suam videtur esse maxime actiuum, tum, quia per mixturem illa aqua in minutissimas partes distribuitur, & à contrario agente vndique circumdatur, & ideo verisimile est, facile conuerti, vt sentit etiam Arist. 1. de generat. cap. vlt. Tertium, & ad vsum pertinens est, Sacerdotem debere aquam miscere ea intentione, & modo, vt verisimile sit posse facile in vinum conuerti ante consecrationem. Ratio est, quia in sacramentis conficiendis, id est eligendum, quod certius: si autem aqua in vinum transeat, certum est verti in sanguinem: si autem in sua substantia maneat, vt minimum, est res valde dubia: ergo curare Sacerdos debet, vt possit in vinum conuerti, & hoc docent Ecclesiæ consuetudo, & Concil. Florent. dum inquit, modicissimam aquam esse miscendam: hæc enim videtur esse illius quantitatis ratio potissima.

Controuerfia ergo superest, si interdum contin-
gat

Damasc.

Ambros.

Paschal.

Algerius.

Dubium.

Cons. Euseb.

Dubium.

gat tempore consecrationis aquam non esse in vinū conuersam, vtrum maneat, an immediate conuertatur in sanguinem.

In qua re est tertia sententia: tunc aquam conuerti in sanguinem. Quae opinio solet tribui Paschasio, & Algero supra. Sed illi nihil dicunt de immediata conuersione, sed si simpliciter loquuntur, sicut alij Patres: qui eadem ratione videntur huic sententiae fauere. Praesertim Ambrosius & Damascius, indicant n. aquam manere vsq; ad consecrationem, & conuerti, & eodem modo referri potest Aluod. libr. 4. Sum. tract. 5. c. 2. dicit enim, panem transubstantiari in corpus, vinum & aquam in sanguinem, citari etiam potest Petrus Soto, qui lect. 14. de Euchar. sic loquitur. Neq; opus est scrupulose inquirere, vbi aqua appositā maneat. Totum enim, quod in calice est, vinū est, & illud conuertitur in sanguinem Christi. Sed haec omnia facile explicari possunt. Ex omnibus scriptoribus Catholicis, solum inuenio Alanum lib. 1. de hoc sacramento, c. 13. loquentem haec verba: Probabilius est, quod omnium pene Ecclesiasticorum scriptorū iudicio defenditur, aquam modice infusam in vini substantiam prorsus desinere, & tamen si id non fieret, sed existeret aqua in varias & abditas vini partes diffusa, faceret nihilominus vinum non specie, sed permissione, & totum illud modo vinum praedominantem partē obtineret, conuertetur in sanguinem Dominicum, idq; certā fide tenendum est, vt cūq; illud aliud cum in naturā obscuritate positum sit, ignoretur. Sed excessit hic author, praesertim in illo vltimo verbo, quia neq; est certa fides, nec admodum probabilis opinio, vt dicam.

Fundamenta vero potissima huius sententiae sunt eadem, quae contra secundam sententiam posuimus: quia si necessaria est conuersio aquae in vinum, vt fiat transitus in sanguinem, & semper incerta erit talis conuersio, & sepe erit certum non fieri: vtrumque autem videtur eodem modo impugnari, praedictis rationibus, quibus secunda opinio impugnata est. Sequela, quoad priorem partem, per se nota est, quia illa naturalis conuersio est valde incerta, praesertim si iuxta Concilium Triburienſe tertia pars aquae miscetur, vel certe si vinum sit natura sua valde debile, vel nimis densum, ita vt non possit per aquam tam facile diuidi, ac distribui: vel si ex accidente, sit nimis frigidum. Altera pars sequelae constat, si verbi gratia, contingat, in calice non fuisse positum vinū, & postea instantem consecrationem necessarium sit ponere aquam & vinum, & statim consecrare, nā tunc euidenter est, aquam nō esse conuersam in vinum, & certe in facto Christi videtur ita accidisse, nā vt ex Euangelis colligi potest, statim, ac posuit vinū in calice, consecrauit, & dedit discipulis: non ergo expectauit illud tempus conuersionis aquae in vinū. Adde, totam illam moram, quae est à tempore, quo miscentur vinum & aqua vsq; ad consecrationem, esse accidentariam, & praeter institutionem huius sacramenti ob caeremonias Ecclesiae, ergo & conuersio aquae in vinum, quae in illa mora fit, est accidentaria, & absq; illa fieri potest consecratio totius vini aqua misti. Quod vero eadem incommoda sequantur in contraria sententia, quae contra secundam obiecta sunt, facile patebit discurrendo per singula. Nā in primis non posset adorari totum illud, quod est in calice. Deinde etiam sacerdos non esset ieiunus. Item pronomen hic, vel non designaret totam illam materiam, vel certe forma redderetur falsa, & inefficax. Denique, quia Sancti eodem modo, & eadem certitudine loquuntur de conuersione aquae ac vini.

Secundo, principaliter argumētō ratione, quam indicat Alanus, quia postquam facta est mistio aquae, quamuis substantialiter minime sit conuersa in vinū, totum illud censetur vinum per modum vini potus, vt est in vsu, ergo totum illud est materia apta vt

conuertatur: patet consequentia, tum quia Sancti solum requirant vinum aqua mistum, & tamen communi vsu & appellatione illud est proprie vinum aqua mistum: nam facta conuersione aquae in vinum, potius videtur esse vinum simplex, tum etiam secundo, quia ad consecrationem corporis tantum requiritur panis triticus vsualis, & non alius: vnde etiam si habeat particulam aliquam consecratam, quae sit hordeacea, nihilominus tamē totum illud simpliciter consecratur: cuius ratio haec reddi potest, quia est per modum vini cibi vsualis, ergo similiter. Tum deniq; tertio sic arguuntur, quia, si Christus dedit nobis vinum aqua mistum, vt sufficientem huius sacramenti materiam, sine causa vel vtilitate voluisset, vt omnino aqua prius conuertetur in vinū, quam in sanguinem, ergo verisimilius est, his non obstantibus, esse contentum vsuali mistione.

Nihilominus dicendum cenſeo, aquam non conuerti in sanguinem, nisi prius in vinum transmutetur. Primo, quia, vt dicitur in Catechismo Pij Quinti, haec est sententia omnium Ecclesiasticorum scriptorum, docuit illam D. Thomas hic, & Innocentius libro 4. de hoc mysterio. cap. 32. Rabanus libro de Corpore Domini, capit. 4. Alexand. Alenſis quarta parte q. trigesima secunda, membro. 5. ar. 2. & 3. & reliqui Theologi in 4. d. vndecima, vbi Scotus. q. se. prima. Richardus ar. 2. q. 5. Maior. quaestio. 2. Paludanus quaestio. prima. art. septimo, Bonauent. secunda par. distinctio. art. 1. quaest. tertia, qui aduertit etiam, Christum Dominum non consecrasse calicem, donec aqua in vinum fuisset conuersa, Gabriel ibi quaestio. 2. & lectio. 35. in canon. qui dicit esse indubitam sententiam, quam omnes moderni scriptores amplectuntur, & Soto distinctio. 9. quaest. 1. articulo. 6. dicit, Innocentium III. in capit. Cum Marthae, de Celebrat. missarum, illam vt certissimam docuisse, tamen reuera Innocentius solum illam amplectitur vt probabiliorē sententiam, quod non parum mouere debet vt illam amplectamur, sed illud etiam maxime mouet, quod, cum Innocentius ibi tres referat sententias de hac conuersione aquae, nullam mentionem fecit eius, quae asserit conuerti immediate in sanguinem, & idem videre licet in omnibus antiquis Scholasticis, quod est manifestum iudicium, antiquorum omnium sensum, & quae indubitam sententiam fuisse, aquam vel manere in sua substantia, vel conuerti in vinum, & hoc argumentum in materia sacramentorum est valde efficacax.

Secundum huius communis sententiae fundamentum est, quod esse videtur, quia materia consecrationis solum est vinum, cui aqua miscetur, non vt materia, sed solum per modum caeremoniae ad significationem quandam, sola autem materia est, quae conuertitur, vt per se constat. Antecedens, praeter communem sensum & traditionem Scholasticorum, habet nonnullum fundamentum in Scriptura, quae solius vini meminit. Deinde multum indicatur in Cōcilio Florentino, vt supra aduertebam: nam prius simpliciter dicitur: vinum esse materiam, postea additur, illi esse modicissimam aquam miscendam, insinuatur etiam in c. Firmiter, vbi solum panis & vinum dicuntur conuerti in corpus & sanguinem Christi, & similiter Trident. sess. 13. can. 2. dicit, panem in corpus, & vinū transire in sanguinem, & duntaxat manere species vini, nec mentionem facit aquae & specierum eius: sicut ergo solus panis est materia proxime conuertibilis in corpus Christi, & licet fiat ex farina, & aqua, tamen aqua manens in sua substantia, non est capax illius conuersionis, nisi prius transeat in substantiam panis: ita solum vinum, quod ex aquo ponitur cum pane vt materia huius sacramenti, est proxime conuertibile in sanguinem, & non aqua, nisi in substantiā vini transeat. Et hoc est, q. Cypr. supra citatus ait: Quando vtrumq; miscetur & adunatione confusa si-

biuni-

biuicem componantur, tunc sacramentum spirituale, & celeste percipitur, sic vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi miscetur, quomodo nec corpus Domini potest esse sub farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque fuerit adunatum, ubi significat non magis aquam posse conuertere immediate in sanguinem, quam in corpus, sed oportere, ut cum vino coalescat in vinum, quod mistum dicitur, non quia substantialiter sit diuersum a vino, sed quia postquam partem aquae in se conuerterit, temperatum manet, & qualitatibus aquae affectum.

Tertio hoc declaratur a posteriori, quia, si aqua ex aquo est materia, ac vinum; reddi non potest ratio, cur, vel non sit aquae necessaria, ac vinum, vel non possit ipsa sola ac pura immediate conuertere in sanguinem, sicut potest purum vinum. Quod praeterea ita declaro, nam si sufficit vinum mistum per iuxta-positionem: ergo etiam si miscetur aequalis, vel maior pars aquae, nihilominus totum illud mistum conuerteretur in sanguinem, quia reuera est vinum mistum vsuale, nec reddi potest ratio, cur minor quantitas possit conuertere, & non maior. Dicit potest, aquam non posse conuertere, nisi saltem accidentaliter sit alterata a vino, & receperit accidentia eius. Sed contra, nam saltem sequitur, solum aquam, dummodo habeat accidentia vini, etiam si non habeat admistam substantiam eius posse conuertere, quod est omnino falsum. Sequitur deinde, si conuerteret vinum & aquam ita misceri, ut utrumque substantia periret, & fieret vnum aliquid distinctum habens accidentia vini, quod in ordine ad communem potum vel vsum existimaretur vinum lymphatum, nihilominus illud esse materiam, quod est alienum a sana doctrina, & definitione Conciliorum. Imo praeterea sequi videtur, si paululum aquae rosaceae miscetur vino, & recipiat accidentia eius, licet in vinum non transeat, posse conuertere in sanguinem Christi, quia etiam totum illud mistum est per modum vnius potus, & substantia aquae naturalis, per se sumpta, non est magis materia, quam substantia aquae rosaceae. Et ita nonnulli concedunt hanc sequelam, sed reuera consequens est valde absurdum, & contra omnem antiquitatem. Et confirmatur, nam haec de causa introductum est in Ecclesia, ut modicissima aqua misceretur, quia reuera existimatum est, aquam in sua substantia non esse materiam. Tandem confirmo, quia si aqua durans in substantia sua, conuerteretur in sanguinem Christi, eadem ratione sanguis Christi conuerteretur, & conseruaretur sub accidentibus aquae: ergo si conuerteret species vini accescere, ita ut non possent conseruare substantiam vini, species autem aquae integras manere, conseruaretur sanguis Christi sub speciebus aquae, etiam si desineret esse sub speciebus vini. Eaeodem ratione, si illa aqua posset in se conuertere vinum, & proportionalis actio inter ipsas species intercederet, posset in illis conseruari sanguis Christi: ac denique, si quacunq; ratione illa species aquae consecratae separarentur a speciebus vini, retinerent sub se sanguinem Christi, quod est reuera inconueniens & absurdum: cum tamen non possit satis consequenter dici, propter solum separationem desinere ibi adesse corpus Christi, & substantiam aquae redire. Signum ergo est, solum vinum immediate conuertere in sanguinem Christi.

Argumenta vero contrariae sententiae non sunt magni momenti. Ad primum ergo in primis dicitur, ut in plurimum, satis certum ac verisimile esse, praecedere conuersionem aquae in vinum, ut supra probatum est. Et ad illam experientiam, qua dicitur aquam iterum separari posse a vino, responderi potest, vel id solum contingere, si fiat, antequam conuersione perficiatur, vel certe, ut responderi D. Th. in 4. d. in expositione litterae, id, quod separatur non est aqua, sed quidam aquens humor, cuius signum est, quod etiam ex puro vino potest extrahi. Deinde

Franc. Suarez. Tom. 3.

dicitur, si interdum contingat consecrationem fieri ante conuersionem aquae in vinum, non sequi aliquod incommodum, magis quidem decet, ut, si commode fieri potest, aqua prius in vinum conuertatur. Et hoc sensu intelligenda sunt & acceptanda, quae contra secundam opinionem dicta sunt: si tamen aliud accidat interdum, non refert. Ad illud vero de adoratione respondetur, non adorare fideles quidquid est in calice, possunt enim interdum esse in calice aliae res, ut paleae, &c. adorant ergo id, quod consecratum est, seu quod sub speciebus vini continetur. Ad aliud de ieiunio respondetur, satis esse, ut probabiliter credatur, aquam esse conuersam in vinum, si tamen interdum accideret, certum esse, talem conuersionem non esse factam, ut in casu illo, quando instante iam consecratione cognoscitur, tunc (inquam) consultius esset, ut sacerdos se existimaret non ieiunium, neq; iterum conficeret, quamquam, si vellet alteri opinioni adherere, quia totum illud recipitur per modum vnius sacramenti, & quia contraria opinio non est omnino improbabilis, non damnarem illum. Ad illud de forma seu pronomine. hic respondeo, idem argumentum fieri posse, si vino sit admista gutta mellis, vel alterius liquoris, vel si intra panem lateat particula casei. Respondetur ergo, ex intentione sacerdotis, seu Ecclesiae, & Christi, ad quam sacerdos se conformat, solum designari, quod sub speciebus vini continetur. Vel certe, sicut hoc dicitur absolute vinum, licet particulam aquae admistam habeat, ita illud idem dicitur sanguis Christi post conuersionem, licet eandem particulam aquae habeat admistam.

Ad secundum argumentum respondetur, non quemlibet potum, sed vini tantum, esse materiam huius sacramenti, ut ostensum est, alias si argumentum illud esset efficax, quicunq; alius liquor esset admistus vino, si tamen constitueret vnum potum vsualem, tota illa esset materia consecrabilis: quod est aperte falsum. Et argumentum de pane potius probat contrarium, quando enim aliqua farina hordeacea ita miscetur triticeae, ut tandem totum, quod conficitur, sit panis triticeus, & eiusdem rationis, ac substantiae, tunc totum consecratur, si vero contingeret, particulam panis hordeacei manere interpositam pani triticeo, substantialiter tamen ab illo distinctam, reuera non consecraretur. Neq; Sancti dicunt vinum utcumq; mistum esse materiam, sed vinum simpliciter, cui dicunt miscendam esse aquam, hanc vero dicunt conuertere in sanguinem, quia, saltem mediate, ita communiter fit: & interdum et dicunt, vinum mistum aqua conuertere, quia, licet aqua conuersa sit in vinum, tamen simpliciter vocatur illud vinum mistum, quia manet affectum, ac temperatum qualitatibus aquae.

Et idem tandem dicitur ad institutionem Christi. Vnde illud argumentum retorqueri potest, quia Christus non instituit aquam, ut partem materiae, cuius signum est, quia non praecipit illam misceri: neq; est verisimile, dedisse potestatem ad conuertendam materiam, quam non praecipit apponi. Quod si fortasse alia sententia dicat, potuisse hanc materiam institui, ut sufficientem, & non ut necessariam, & ut sufficientem tali modo, & non alio: Respondeo, potuisse quidem id facere Christum, sed non constare id fecisse: quin potius contrarium. Et distinctionem illam, de materia sufficienti, & necessaria, inauditam esse in aliis sacramentis, praeterquam penitentiae, in quo fuit specialis ratio, in natura rei fundata, ut ibi dicitur.

Et ex his sequitur primo, si post consecrationem contingat, species consecratae corrumpere aquam, illam conuertere in solum vinum, & non in sanguinem Christi, quia haec conuersio non fit, nisi per formam, quae vinum traham habuit totum situm effectum: species autem consecratae virtutem retinet ad generandum vinum, ac si substantia adesset, ut ex infra dicendis constabit.

Vu 2 Secun.

Secundo sequitur, si contingat aquam conuerti in vinum, in eodem momento, in quo perfitur forma consecrationis, & conuertitur vinum in sanguinem, in eo casu aquam conuerti in vinum, non posse immediatè transire in sanguinem, in eo autem casu nec immediatè posset, quia neq; in eodem momento potest fieri duplex conuersio, alias in eodem instanti aqua inciperet esse vinum per primum sui esse, & desineret esse vinum per primum non esse, quæ est aperta implicatio contradictionis, neq; post illud instans potest aqua transire in sanguinem, quia iam actio formæ cessauit.

Secundo sequitur, si contingat aquam conuerti in vinum, in eodem momento, in quo perfitur forma consecrationis, & conuertitur vinum in sanguinem, in eo casu aquam conuerti in vinum, non posse immediatè transire in sanguinem, in eo autem casu nec immediatè posset, quia neq; in eodem momento potest fieri duplex conuersio, alias in eodem instanti aqua inciperet esse vinum per primum sui esse, & desineret esse vinum per primum non esse, quæ est aperta implicatio contradictionis, neq; post illud instans potest aqua transire in sanguinem, quia iam actio formæ cessauit.

Tercio difficilior est, quid sit dicendum, si contingat, conuersionem aquæ in vinum fieri, ante finitam formam, tamen post illam inchoatam, & post dictum pronomen, hic, videtur enim probabile tunc conuerti in sanguinem, quia in instanti consecrationis aqua iam est vinum, & tota significatio formæ refertur ad illud instans, vt videbimus. In contrarium autem est, quia vt consecratio fiat, oportet materiam esse præsentem, quando illo pronomine designatur: ergo multo magis necesse est, vt iam exiit. Sicut in consecratione panis, si quis inciperet proferre formam, antequam panis esset præsens, vel propinquus, nihil conficeret, quamuis fingamus panem fieri præsentem, antequam abfoluatur forma: quia, licet significatio formæ referatur ad vltimum instans, tamen tota est in ordine ad species, quæ præsentem adesse debent, quando tota forma profertur, & hæc ratio videtur mihi vrgentior. Et hæc tenus de materia remota.

Tercio difficilior est, quid sit dicendum, si contingat, conuersionem aquæ in vinum fieri, ante finitam formam, tamen post illam inchoatam, & post dictum pronomen, hic, videtur enim probabile tunc conuerti in sanguinem, quia in instanti consecrationis aqua iam est vinum, & tota significatio formæ refertur ad illud instans, vt videbimus. In contrarium autem est, quia vt consecratio fiat, oportet materiam esse præsentem, quando illo pronomine designatur: ergo multo magis necesse est, vt iam exiit. Sicut in consecratione panis, si quis inciperet proferre formam, antequam panis esset præsens, vel propinquus, nihil conficeret, quamuis fingamus panem fieri præsentem, antequam abfoluatur forma: quia, licet significatio formæ referatur ad vltimum instans, tamen tota est in ordine ad species, quæ præsentem adesse debent, quando tota forma profertur, & hæc ratio videtur mihi vrgentior. Et hæc tenus de materia remota.

QVÆSTIO LXXV.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de conuersione panis & vini in corpus & sanguinem CHRISTI.

Et circa hoc quaeruntur octo.

- Primo, vtrum in hoc sacramento sit corpus CHRISTI secundum veritatem, an solum secundum figuram, vel sicut in signo.
- Secundo, vtrum in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.
- Tercio, vtrum substantia panis, vel vini, post consecrationem huius sacramenti annihilatur, aut in pristinam materiam resoluatur.
- Quarto, vtrum panis possit conuerti in corpus Christi.
- Quinto, vtrum in hoc sacramento post conuersionem remaneant accidentia panis & vini.
- Sexto, vtrum facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.
- Septimo, vtrum ista conuersio fiat in instanti.
- Octauo, vtrum hæc sit falsa, ex pane sit corpus Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.

Sup. q. 65. ar. 3. cor. p. 106. & infr. q. 76. per totum. & 4. d. 10. ar. 1. & d. 11. prin. & 4. conc. c. 71. & 1. Cor. 11. l. 5. col. 2. & 4.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramento, non sit corpus Christi secundum veritatem, sed solum secundum figuram, vel sicut in signo. Dicitur enim Ioan. 6. quod cum Dominus dixisset, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. multi ex discipulis eius audientes, dixerunt: Durus est hic sermo, qui-

bus ipse dixit. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, quasi diceret, secundum expositionem Augusti. Super Ioan. 6. Psal. 98. Spiritu aliter intelligite, quod locutus sum, non procul non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibaturi illum sanguinem, quem suscipiunt, qui me crucifigent, sacramentum aliquod vobis commendauit, spiritu aliter deus dicit, intellectum viuificabit vos, caro autem non prodest quicquam.

2. Præterea, Dominus dicit Matthæi vltimo. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quod exponens August. dicit. Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen & hic nobiscum est verus Dominus: corpus enim in quo resurrexit, in vno loco oportet esse, veritas autem eius vbique diffusa est. Non ergo secundum veritatem est corpus Christi in hoc sacramento, sed solum sicut in signo.

3. Præterea, Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cum nec angelo hoc conueniat, eadem enim ratione possit esse vbique. Sed corpus Christi est verum corpus, & est in celo. Ergo videtur, quod non sit secundum veritatem in sacramento altaris, sed solum sicut in signo.

4. Præterea, Sacramenta ecclesie ad vritatem fideliū ordinantur. Sed secundum Greg. in quadam homil. regibus reprehenditur, quod quaerebat corporalem Christi presentiam. Apostoli etiam impediuntur recipere spiritum S. propter hoc, quod affectu erant ad eius presentiam corporalem, vt August. dicit super illud Ioan. 16. Si non abiero, paracletus non venit ad vos. Non ergo Christus secundum presentiam corporalem est in sacramento altaris.

Sed contra est, quod Hilari. dicit in 8. de Trinit. de veritate carnis & sanguinis Christi, non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra caro eius vere est cibus, & sanguis eius vere est potus. Et Ambros. dicit 6. de sacramentis. Sicut verus Deus filius est Dominus Iesus Christus, ita vera Christi caro est, quam accipimus, & verus sanguis eius est potus.

Respondeo dicendum, quod verum corpus Christi & sanguinem esse in hoc sacramento, neq; sensu neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quæ auctoritati diuinæ innuitur. Vnde super illud Luc. 22. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, dicit Cyrill. Non dubites, an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Saluatoris in fide, cum enim sit veritas, non mentitur. Hoc autem conueniens est. Primo quidem perfectioni nouæ legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud Hebr. 10. Vmbra habens lex futurorum bonorum non ipsam rerum imaginem. Et ideo oportuit, vt aliquid plus haberet sacrificium nouæ legis à Christo institutum, vt scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatiue, vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet (vt Dionys. dicit 3. cap. Eccles. Hierar.) est perfectiū omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. Secundo hoc competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostra naturæ assumpsit. Et quia maxime proprium amicitia est conuincere amicos, (vt Philo. dicit 9. Ethicor.) sui presentiam corporalem nobis reponit in premium dicitur Matthæi vigesimo quarto. Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquila. Interim tamen nec sua presentia corporis & sanguinis sui, nos sibi coniungit in hoc sacramento, vnde ipse dicit Ioan. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde hoc sacramentum est maxime charitatis signum. & nostra sui subleuamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. Tertio, hoc competit perfectioni fidei, quæ sicut est de diuinitate CHRISTI, ita est de eius humanitate, secundum illud Ioan. 14. Creditis in Deum, & in me credite. Et quia fides est inuisibile, sicut diuinitatem suam nobis exhibet Christus.